



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

II. Omnem exactionem indebitam pro sacramentorum aliarumque rerum
diuinarum administratione esse a viris ecclesiasticis summopere
deuitandam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

656 CLEMENS CONCILIVM CAROLVS V. IMP.
P. VII. FRANCISCVS I. R. FRANC.
DECRETA MORVM.

I.

ANNO
CHRISTI
1527.

1. Tim. 2.

Paulus gentium apostolus, cum Timotheum in primis admonuisset ut a pseudoapostolis creditam sibi plebem a- uocaret, qui volentes esse legis doctores non intelligebant quæ loquebantur, neque de quibus affirmabant, protinus ad mores conuersus, *Obsecro*, inquit, *primum omnium fieri obsecraciones, orationes, postulationes, gratarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & castitate*. Proinde Paulum imitati, de suffraganeorum nostrorum consilio & assensu in primis districte iniungimus, ut per cathedrales, collegiatas, parochiales, & alias quascumque ipsius nostræ prouinciarum ecclesiæ, fiant precessam publice quam priuatim, quibus auertatur ira Dei, & de peccatis nostris meritam non sumat vltionem. Nam si precibus locus aliquando affuerit, si qua olim orandi necessitas instituit, ea profecto hac nobis nostra tempestate se offert, qua atroces assiduosque bellorum tumultus inter Christianos principes exardescere videmus: & nauis ecclesiæ pluribus schismatum vndis iactata vanæ doctrinæ ventis fluctuat. Orandus igitur benignissimus Deus, ut qui nostris iniquitatibus offensus haetenus in puppi dormitasse videtur, exurgat, & dissipentur inimici eius, imperet mari & ventis, cessetque tempestas: pestilentes hæreses in dies pululantes tollat, falsa amputet dogmata, dissidentes & exulceratos principum animos conciliet: pacatisque hæresum procellis, fatigentem Petri nauiculam tuta tandem statione recipiat. Sanctissimum dominum nostrum papam & statum hierarchicum ecclesiæ in perfecta caritate contineat: & Christianissimum regem nostrum ac supremum dominum in columem nobis seruet, votorumque compotem efficiat, ut commissus illi populus Deum unicum pacis auctorem agnoscat, & in agendis illi gratiis totus inhiet & inardescat.

II.

Sacro hoc approbante Concilio, statuimus & ordinamus, ut omnia sincere, pure & mente fiant in domo Domini, sine labe labiſve ſuspicioне, aut ſpecie mali. Ad quod pralati, eccleſiarum cathedralium & collegiarum capitula, archidiaconi, abbates, abbatiffæ, & aliæ quæcumque perſonæ

ANNO sonæ ecclesiasticae , diligentem gerant curam & studium
CHRISTI exercendi , administrandi , & exequendi , onus eis a Do-
1527. mino concessum , (ne sanguis subditorum de manibus eo-
rum requiratur) non quæstus causa aut pecuniæ . Ideo

statuimus , inquam , & ordinamus , conformiter ad sacro-
rum Conciliorum , sanctorumque patrum decreta , ut ma-
nus suas illibatas , integras & intactas seruent , iuxta iuris
communis dispositionem & ordinationem , ab omni ex-
actione abstinentes , non obstantibus quibuscumque iura-
mentis , statutis , & consuetudinibus introducatis , & in futu-
rum introducendis . Irrationabilem illam consuetudinem

Ad vnam
receptus
præben-
dam non
soluat plu-
res rece-
ptiones.

iudicantes , qua ad vnam præbendam receptus , suorum in-
dicta præbenda prædecessorum non receptorum (a quibus
ius non habet , sed a conferente vel instituente) plures re-
ceptiones soluere compellatur . Prouideant autem dioce-
sani , ne ecclesiarum parochialium rectores , matricularii ,
aut alii quicumque , indebitas exactiones pro sacramento-
rum , sacramentaliumque ac diuinorum administratione
faciant .

III.

Et vt deinde de ministris ecclesiæ prouideamus , ne cir-
ca promouendos ad sacros ordines fraus aliqua committat-
tatur , sacro hoc approbante prouinciali Concilio , de fra-
trum nostrorum suffraganeorum sententia & consensu sta-
tuimus , vt promotionis tempore , ordo qui proxime se-
quitur , diligenter obseruetur . Ut quantum attinet ad æta-
tem & mores , non prius promoueant dicœsani suos ad ali-
quem sacrum ordinem , quam viderint literas testimoniales
presbyteri parochialis , quæ contineant duorum aut trium
testium probatorum , non suspectorum , depositiones iu-
ramento solenni firmatas de sufficientia ætatis promouen-
di , & de probata & inculpata illius vita . Quo absoluto ,
inquirant , si promotendus habeat scientiam , a iure ad
ordinem suscipiendum requisitam . Neque aliquem ad sa-
cerdotium promoueant , nisi qui (quantum fragilitas hu-
mana patitur) sciat ea quæ continentur in Canone , Quæ
ipſis , 38. distinctione .

IV.

Porro in graue clericalis ordinis scandalum ac dedecus
videmus haud paucos fæcrodotes nudos ac mendicos .

Concil. Tom. 34.

oooo